

fibros non alium habuisse auctorem preter alia argumenta (de Dialogorum S. Greg. lib. v, Labbæus de Script. tom. I, pag. 391; Mabillon, prefat. ad Acta SS. Benedict., § 2, tom. I), non Isidorus tantum in libello de Scriptoribus ecclesiasticis, sed et in

A prologo Paulus noster, ejus sancti pontificis aequalis, egregie comprobant. Late agit de aliquot Emeriten-sium pontificum, presertim Pauli, Fidelis et Massonæ, rebus gestis.

## AD EXTERUM RES HISPANAS AMANTEM.

*Hispaniam nostram cunctis saeculis ingeniorum altricem non, opinor, tam caudex erit, qui ignoret; non tam invidus, qui contra contestatam et inconcussam tot monumentorum fidem inficiari audeat. Mitto antiquissimos, qui apud Strabonem (Geog. III) inter Hispanas populos sapientiae putabantur excellere, et litterarum studiis utebantur, et venerande vetustatis volumina habebant; poemata, leges quoque versibus conscriptas e sex annorum milibus, ut aiunt. Ceteri enim Hispani usum habebant litterarum non uno quidem genere, nec una illis lingua. Mirum certe in iis, quibus semper*

Lucis causa sita, et damnum vivere paci;

*trotæ Italico (Punic. m), Hispano vase. Pacatis quippe et togatis artibus florere inter sagorum usum ei armorum strepitum a natura inditum, non exemplo comparatum est. Mitto etiam illum felicissimum scriptorum Hispanorum segetem, que ab Augusteo aeo ad Neronianum ipsos*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam,  
cum facundissimos oratores, et clarissimos vates illi Hispania pepererit ut Latinus Pacatus Panegyr. ad Theodosium Aug. nostrum ait, omnigenæ eloquentias professione admirata est. Unde semper cum ingenio: um principi Augustino (viii de Civit., c. 11) Hispanos sapientes possumus appellare. Illorum etsi multa præclaræ ingenii monumenta fatorum labore perierint, pleraque tamen propitiante bono ipsorum genio cum feliciori cu-juscunque genti hac de re preventu, fatente invidia, possunt comparari. Ex iis præter tot millia, quæ in pretio apud omnes et fructu sunt, non pauca in antiquissimis rarioribus notæ bibliothecis hactenus delitescant, que ab eruditis cognita et laudata, majus de se aliis excitarunt desiderium. Aliquot G. Loaisa, A. Morales, J. Mariana, atque doctrina et auctoritate præstantes viri communis juris reip. causa fecerunt. Aliquot etiam ego cum lineis adhuc et blattis incredibili rei litterariae damno rixantia, e tenebris eruta, ad vetustissimas membranas compo-sita, et notis illustrata, editioni parata habeo. Quorum quidem catalogum hic libenter merito texerem, ni piceas et tagaces quorundam ardellionum manus timerem, quos Harpyiarum more in modestiorum sibi que dissimiliorum scrinia involantes

Convectare juvat prædas et vivere rapto;

Quippe quibus,

. . . . . fordistima venris

Proluviæ, unceque manus. . . . .

(Virg. in Eneid.)

. . . . . Rostra apta rapuis,

. . . . . Unguibus hanus iuest.

(Ovid. vi Fast.)

Verum enim vero Carnam sive Cardineam nympham Kal. lun. suillo lardo veteri ritu (Ovid. vi Fast.) placabo, ut vel hos Fidentinos (Martial. 1, epig. 30, 54, 73), Autolycos (Horner. Iliad. x, Odyss. 1, et Ovid. 60 Met.), Gleptas (Plaut. Trucul.) Æsopis graculos (Horat. ad Pison.) et

Bonorum malas carminum lavernas

(Auson. ad Th.)

anerruncet, aut saltem præsentem audacissimis

Imponat plagiariis pudorem.

(Mart. 1, ep. 53.)

Certe, etsi innocuae librorum licentiae

Tristius haud illis monstrum, nec sœvior ulla

Pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis;

(Virg. En. III.)

Naturæ tamen melioris beneficio ita comparatum habemus, ut quoties haec

Turba sonans prædam pedibus circumvolat uincis,

et alienas, et utcunque harpagatas effrontissimo

Polluit ore dapes; . . . . .

exemplio indicio suo ipsa editionis fæditas et erratorum seges

. . . . . Traducit manifesto a carminus furto.

Experimento apud nos heri et nudius tertius didicimus; hodie etiam timemus. Verum dum illi ementitæ et emendi-  
cæ famæ larva circumferuntur, nos veris in rem. litterariam et in patriam meritis, de ultraque (uti hactenus et  
fortasse an non inutiliter fecimus) optime mereri oīū Θεῷ non desinemus.

## EXEMPLARIA PAULI AB EDITORE COLLECTA.

1. Ex ecclesiæ Toletanae bibliotheca litteris Gothi-cis exaratum.
2. Gothicum ex bibl. Regia Hieronymiana apud Seo: lacum. Existimo olim suis ex Carazedano S. Valerii monasterio. Vedit etiam Amb. Morales vir cl. et de Hisp. optime meritus, nostri regii mu-ni-  
ris ascecia. Plura hic sunt Pauli exemplaria Latinis litteris exscripta, que nou otii nostri fuit illa omnia conferre.
3. Ex Bibl. illust. D. Joannis Bertrandi a Guevara

\* Al. criminis. Utrumque in exempl. Mart. I.b. 1, ep. 54, legitur, et utrumque prædones nostri committunt

archep. Compostellani, supremi Italici consuli praesidis; dono accepi ab illust. D. Ferdinando de Vera et Vargas archiepiscopo episcopo Cusensi, regio consiliario, magno magni avunculi nepote. Latinis litteris transcriptum a viro docto, ut apparebat, ipso in limine indicabatur.

4. Etiam Latinis litteris scriptum ex bibl. viri nobilis D. Joan. de Fonseca et Figueroa amici, hem! olim nostri; in seren. Ferdinandi Hisp. Infantis, cardinalis Toletani bibliothecam postea translatum. Quod quidem ex Bertramiano, cum iisdem mendis scateret, transcriptum crediderim.

5. Etiam Latinum, ab Alvaro Gonccio a castro Eulaliensi viro cl. Franciscus Pisa Toletanus Th. D. inibi, dum viveret, amicissimus habuit.

c. Latinum, Antonii Corruviae regii consiliarii, et Toletanae Ecclesiae et Academiae scholarchae, illustris. Didaci Hispaniarum praesidis fratri vir cl. cognati mei, omnium emendatissimum.

7. Gothicum, manu illust. Garsiae Loaisa archiep. Toletani in aliquot locis interpolatum. Habui a Petro Salazar de Mendoza, canonico Toletano, cuius obitum nuper omnes boni nobile que luxerunt.

8. Gothicum aliud, quo usus fuit magnum Hispaniae decus, Joan. Mariana S. J., amicorum meorum princeps. Habent hodie illius socii, apud quos Toleti tumulatus. Sed nullo p̄t cineres ornantur monumento, nullo distinguuntur titulo. Nec opus, cum viro illi incomparabili cœlum præmium fuerit, orbis sepulcrum, fama inscriptio.

## PAULI EMERITANI DIACONI DE VITA PATRUM EMERITENSIO.

### d Praefatio.

*Virorum orthodoxorum, maximeque catholicorum, prorsus e, vera nullus esse ambigat miracula, quæ t, sanctissimus egregiusque vates Romanæ præsul urbis Gregorius, inflammatus paracœli charismate Spiritus,*

a Pauli. Quem multi hactenus desiderantes, de eo honorifice meminerunt, uti illustriss. Cesare cardinalis Baronius tom. VII, ad an. Dom. 589. Garsias Loaisa Giron archiepisc. Toletan., Hispaniarum primas, not. ad concil. Tolet. III, et viri doctissimi, Ambr. Morales, historiographus regius, l.b. n. Chron. Hisp., cap. 71, et tractatu de Libris ad historiam auxiliaribus tom. II præfijo pag. 3, et not. ad D. Eu- logii Memor. SS., lib. II, cap. 1; Joan. Mariana. S. J., lib. v de Rebus Hisp. cap. 45; Ille Romanus Hisp., Augustin., lib. II Hist. Eccl. Hisp., c. 27; Ludov. de Angelis Lusit., Augustin., lib. IV de Laud. B. Aug., c. 20; Cornel. Lancilotus Belga, August., lib. II de Vit. S. Aug., c. 8; Joan. Marquez Hisp., Augustin., c. 42; Origin. Erem. S. Avg.; Bernardus Brito Cisterciensis, historiog. Lusitan., lib. VI Monarch. Lusit., cap. 19 et 20; Hieronym. Romanus S. J., cap. 16 Hist. Emerit. apud Joan. Marq.; Gaspar Escolanus reg. Valent. rer. historiog. lib. II Hist. Valent., cap. 42; Franciscus Padilla ecclesiæ Malacitanæ thesaurarius, cent. VI Hist. Eccl. cap. 50, et D. vii, cap. 47; Martinus Carrillo, abba Montaragenses, in Annal. non semel.; Barnabas Mereno de Vargas, civis et senator Emeritensis, discurs. 24 Nob.; L. Rudericus Carus, not. ad M. Maxim. Chronic. ad an. 576-590.

b Diaconi Emeritensis. Bene ut a Paulo alio Emeritensi episcopo, de quo noster Paulus cap. 5 meminit, discernatur. Præterea ipse Paulus hoc se diaconatus, honore illustrem p̄t latet cap. I cùm sit: *Ego indignus, et omnium peccatorum primus eritis Christi, etc.*

c Liber de Vita et miraculis Patrum Emerit. Ita in omnibus sere MSS.; in aliquo<sup>1</sup>, Vitæ PP. Emeritensia, sed placet inscriptio prima, quæ eam quæcum Dialogis suis D. Gregorius Magnus præfixit, representat; quenque se maxime imitari testatus est Paulus initio hujus operis. Gregorianæ ἴτερπάγον sic se habet: *De Vita et miraculis Patrum Italorum. Sed de vitæ,*

C an viti? Pro vita Gregorius Turonensis præfatione lib. de Vita PP. sui sæculi, cum ait: *Quæritur a quibusdam utrum Vita sanctorum, an VITÆ dicere debeamus?* A. Gellius et alii grammaticorum VITAS dicer voluerunt. Num Plinius auctor in III Artis Grammaticæ lib. ait: *VITAS antiqui cujuscunque nostrum dixerunt. Sed grammatici pluralem non patitur habere VITAM. Unde manifestius est, rectius dici VITAM PATRUM, quam VITAS, quia cum sit diversitas meritorum virtutumque, una tantum omnes vita corporis ait in mundo. Quam sententiam secuti violentur Evagrius monachus, qui apud Honorium Augustud. cap. 40 do illust. Eccl. Script., scripsit multa necessaria monachis, scilicet VITAM PATRUM; necnon Pelagius diaconus, qui apud Sigebertum, cap. 116 de Eccl. Script. transtulit in Latinum de VITA et doctrina Patrum lib. XVI; quemadmodum Joan. subdiaconus apud eund. cap. 17, transtulit de Græco in Latinum de VITA et doctrina Patrum lib. I. Pro VITIS tamen obtinuit usus in VITIS PATRUM, de quibus plura eruditiss. D amicus ille noster, ac de Ecclesia Dei et rep. litteraria opime, si quis alias, meritus, quem incredibili utriusque dispendio utraque ad plures abeuntem pride se luxit, H. Rosweydis S. J., Prolegom. I in Vit. PP.*

d Praefatio. In MSS. hæc præfationis et capitum distractio prorsus deest. Continuata libelli hujus series legebatur, ut Plinianis operibus, aliquisque ex antiquitate scriptoribus acci lisso testantur omnes, qui vetustis manuscriptis evolvend s op̄ram impenderunt; nosque non semel sumus experti. Accessere viri docti, qui tediis levandi causa, et studiosæ juventutis adjuvande studio in capita sectionesve opera antiquorum partiti sunt, se ici nonnunquam eventu, aliquando secus; unde erroribus e vere lectionis truncatione natis ansa saepe præbita est, quies dignoscendis averrucandisque lyncea eruditorum acies cum fructu sepius intenta fuit. Paulo Emeritensi eamdem adhuc operam (ut reor) primus, quisque ille fuit, hujus operis transcriptor; nam in duobus autem habui excep-